

Ut haec cognosceret, priusquam proficisceretur, Caesar C. Volusenum in Britanniam cum navi longa praemittit et huic mandat ut, exploratis omnibus rebus, ad se quam primum revertatur. Ipse cum omnibus copiis in Morinorum fines proficiscitur, quod inde brevissimus erat in Britanniam traiectus, et huc naves undique ex finitimis regionibus iubet convenire. Interim, consilio Caesaris cognito et per mercatores ad Britannos advecto, a compluribus eius insulae civitatibus ad eum legati venerunt, ut pollicerentur se impero populi Romani obtemperare. Caesar, hortatus legatos ut in ea sententia permanerent, eos domum remisit, et una cum iis Commium Atrebatem